

Disputatio  
inauguralis ad  
naturam de  
philosophia in  
genere et practica  
in s...

Gyldenstolpe, Michael Olai  
Wexionius,

*11 Ae 4:o (var. a)*



National Library  
of Sweden

D. O. M. A.  
AD NATURAM  
<sup>RE</sup>  
PHILOSOPHIA  
IN GENERE

<sup>ET</sup>  
PRACTICA IN SPECIE, SUMMO BO-  
NO CIVILI, ACTIONIBUS ITIDEM  
HUMANIS, SELECTIORA NONNUL-  
LA DE PROMENS.

QVAM

*Divinâ sic disponente providentiâ & Am-  
plissimâ facultate Philosophicâ in Regia Aca-  
demia Christinea, consentiente & approbante.*

SUB DIRECTIONE

*Nobilissimi & Consultissimi Viri*

Dn. Michaëlis Gyllenstolpes / Hæred. in  
Jakoila & Kårrenhem / I. Uq; & Phil. Doct. per-  
eximij; Juris Pol. & Hist. Profess. celeberrimi, Præce-  
ptoris & Promotoris sui, gratâ memoriâ ætatem com-  
memorandi.

*Pro Juribus Magisterij Philosophici obtinendis,  
censura eruditorum publicè discutiendam offert,  
modestèq; proponit*

IOHANNES A. STRÆTHOVIVS

Smol. S. R. M. Stip.

Phil. 3, 8. Omnia habeo pro rejectamentis, ut christum lucrificiam.

PARADOX:

Solus sapiens est dives, nam non esse cupidum pecunia est, non es-  
se emacem, vectigal est.

*In Audit Majori ad diem 28. April. Anno 1656.*

Aboz, Impressa à Petro Hanson Acad. Typogr.



VIRIS

*Admodum Reverendis & Excellentissimis*

- Dn. M. ZACHARIÆ PETRI Lundebergio,  
Inclytæ Diœceseos Wex. Episcopo longe desideratis-  
simo, ut Musarum Patrono Magno, ita meo gratiosif.  
Dn. M. JONÆ ZEPHYRINO, Ecclesiæ Wex. Pa-  
stori & Consist. Ecclesiast. Assessori Dignissimo.  
Dn. M. DANIELI LUNDEBERGIO, Regij  
Gymn. Wex. S.S. Theol. Lectori gravissimo,  
Dn. M. GISLONI UNNERO, Ibidem S.S. Theol.  
Lectori meritissimo.

NEC NON

Reliquis Gymnasiarchis & Consistorialibus  
illic solertissimis.

UT ET

*Praclarissimis Rev. Doctis. & Humanissimis Viris*

- Dn. M. CHRISTIERNO A. Osængio, Pastori in  
Understads/ Dignissimo.  
Dn. ERLANDO PAULINO, Pastori in Marcha-  
ryd fidelissimo.  
Dn. ANDRÆ P. in Hallaryd/ Pastori vigilantissimo.  
Dn. PETRO ANGELSTADIO, Pastori in Ångels-  
stads laboriosissimo.  
Dn. DANIELI ROSANDRO, phil. Cand. me-  
ritissimo.  
Dn. JONÆ in Ronfarp/ Comministro in Ljunga per-  
vigili.  
Dn SAMUELI HARALDI designato Pastori in  
Wislunda diligentissimo.

*Ut olim Præceptoribus meis fidelissimis, ita nunc mecenati meo  
magno & promotoribus certissimis, benefactoribus & a-  
micis exoptatissimis Diss. hanc inauguralem in ulterio-  
rem sui notitiam, promotionem & favorem  
submitte*

Reverenter

officiose

& amice inscribit

Joh. A. Stræthovius.





## SECTIO PRIMA

Definitionem & Divisionem Philosophiæ prælibat

PRÆCEPTA.

I,

**P**hilosophia est habitus perficiens animum hominis in cognitione veri & actione honesti.

II, Dispersitur in Theoreticam & Practicam.

III, Theoretica est pars Philosophiæ prior, quæ Entia eorumq; principia & affectiones solius cognitionis & veritatis causâ contemplatur.

EXPLICATIO.

AD PRÆCEPTUM I.

Obs. (1) Nomine σοφίας priscis temporibus venit; verum cum elatis animis id quosdam ambire animadvertit Pythagoras, φιλόσοφος, quàm σοφός audire maluit; Quo facto modestiam præ se ferens, subinfert vastum oceanum esse σοφίαν, cujus undiq; terminos attingere, contingat vix homini, qui hæc in vitâ navigio rimarum pleno vehitur. Sapientiæ autem studere nemini non integrum est. Nec ullum qui sedulo conatu perpulchram hanc virginem constantive amore coluit, repulit unquam, amantem amat, colentem colit, atq; ita osculis & amplexibus excipit, ut sui amoris neutiquam poeniteat, omninò facit. (2) Genus, habitus, animum enim hominis in cognoscendo & appetendo promptum reddit.

A 2

(3) Dif-

3) Differentia, quæ depromitur ex objecto & fine: Circa *verum*, id ut cognoscat, contempletur. Circa *bonum* id ut operetur, occupatur. Breviter sic definitur: Est habitus scientiâ & prudentiâ constans.

AD PRÆCEPT. II.

Diuturno Eruditorum usu jam invaluit, Philosophiæ divisio in Theoreticam & Practicam. Illa intellectu seu *τὴν επιστημονικὴν*, hæc voluntatē sive *τὴν ὀρεκτικὴν* tanquam subjectum, perficit. Ista rebus necessarijs; Hæc contingentibus, quæ pro arbitrio nostro fieri vel non fieri possunt; tanquam objectum, operam impendit; Hæc actionem; Ea nudam cognitionem; quam quoq; illarum præcepta, intendunt. Theorica intellectui, quem ignorantia, seu *ἀγνοία* veri; Practica voluntati, quam malitia seu *ἀταξία* appetitus, infecit, medicinam facit.

SECTIO SECUNDA

*Philosophiæ Practicæ Definitionem & Divisionem cum Ethicæ Definitione & Divisione in campum provocat.*

PRÆCEPTA.

- I. *Philosophia Practica est prudentia, vel pars Philosophiæ posterior, hominem ad summum bonum civile obtinendum informans.*
- II. *Dividitur in partem Generalem & Specialem.*
- III. *Generalis sive Ethica, est prior pars philosophiæ civilis, quâ homo præcisè & absolutè virtutibus ad consequendam felicitatem civilem informatur.*
- IV. *Partes ejus duæ sunt: εὐδαιμονολογία, quæ summam felicitatem; & ἀρετολογία, quæ media ad illam ducentia, pertractat.*

## AD PRÆCEPTUM I.

Rationibus non invalidis munitus, generi usu recepto, locum facio. Prædicatur enim Prudentia de pluribus distinctis disciplinis, in casu recto: utpote, de Philosophia morali, de Ethica, de Politica, de œconomica, de Jurisprudencia, de Historica (ut nonnulli volunt) E. potius describitur per prudentiam sive partem Philosophiæ, quam per Philosophiam, habet enim convenientiam analogicè cum toto integrali, quamvis illa nec negetur de toto universali. Objectum ejus adæquatum est homo civiliter beandus.

## AD II. & III.

Objectum videlicet actiones humanas expendens, certo illas duplicis esse considerationis; vel enim *generalitèr* se habent, prout absolutè certo statui non astrictæ; Vel *specialitèr* statui aut civili aut domestico alligatæ, virtute & honestate fulgenti splendide micant. *Finem S. B. sc.* intuens, quod & id jani bifrontis simile sit invenio; vel enim *generalitèr*, quatenus ab homine acquiritur; vel *specialitèr*, quatenus à civibus, vel domesticis indagatur, apparet. Hæc cum dextrè perpendo, bonam esse divisionem, confestim comperio.

## AD IV. PRÆCEPTUM.

Analyticà Methodo pertractari gestiunt discipline Practicæ, *Ἐνδαιμονολογία* igitur vult præmitti; Nam sicut iter ingressurus, scopum sibi certum proponit, quo itinera intermedia dirigat, ita fit in processu actionum humanarum, primùm certus ponendus est finis, ex quo dein mediolorum resultat electio & determinatio.

## SECTIO TERTIA.

*Summi Boni Naturam in Theatrum deducit.*

## PRÆCEPTA.

- I. *Summum Bonum est operatio animæ rationalis, secundum virtutem optimam & perfectissimam in vitâ perfectâ.*
- II. *Estq; Theoreticâ vel Practicâ.*
- III. *Theoreticâ est quæ ex contemplatione veri resultat.*
- IV. *Practicâ ex actione virtutis moralis fluit.*

### AD PRÆCEPTUM I.

Definitur per operationem, nam homo non ut otio torpescat, sed ut avicula ad volandû, ita homo ad laborandum natus est. Et quidem 1. *Animæ*, quâ expenditur principium ejus *Quo*; eo quippe non sequestratur principium ejus *quod*: Actiones enim sunt suppositorum. 2. *Rationalis*, quâ repelluntur operationes animæ vegetantis & sentientis. *Secundum virtutem optimam & perfectissimam*, sc. in suâ perfectione, quia felicitas, cum præstantissima ac perfectissima sit actio, perfectissimum etiam postulat fundamentum sive causam absolutissimam. *In vitâ*, vitam hîc intelligi assero moralem, quæ in vigore intelligendi, judicandi & rectè volendi consistit; cui opponitur mors in ejusmodi actuum privatione conspicua; ut in Theologia (ex Epist. 1. Tim. c. 5. 9.) qui vitis serviunt, mortui, qui pietati student vitam spiritualem vivere dicuntur. *Perfectâ*, Hæc requirit, præter maturitatem ætatis, judicijq; sanitatem, etiam actuum continuationem, (perfectio enim S. B. in instanti non absolvitur, qui semihoram vivit, vitam vivit, sed non perfectam, quæ in operatione cernitur continuatâ) commoditatemq; instrumentorum, bonorum sc. corporis & fortunæ, quæ felicitatem promovent & exornant.

Cum

Cum ita singulas definitionis voces, ut hederam, è re fuerit, erexi, & quid intus venale habitum, inquisivi, de facili liquet in quonam consistat fundamentalis & formalis ratio S. B. Non 1. *In voluptate*, animi vel corporis. Illa enim potius S. Boni est immediatum consequens, seu signum perfectæ operationis; Hæc nobis cum belluis communis. Nec 2. *In honore*, signi vel meriti, Hic namq; proprietas & affectio est inseparabilis S. Boni, non ipsa essentia. - Ille propter virtutem expetitur, inconstans est, ab aliorum pendens nutu & arbitrio; juxta illud: Honor honorantis est, non honorati. Nec 3. *In divitijs & rerum omnium affluentia*, possessiones enim malis & bonis communes esse possunt, propter usum expetuntur: Et ut cum molestiâ & maximis curis interdum parantur, ita adhuc majoribus asservantur, & non raro exquisitissimis cum doloribus amittuntur. Sed 4. *In actione virtuosâ, eâq; non impeditâ.*

AD II. III. & IV. PRÆC.

Divisio ex objecto est deprompta. Duo enim maxima sunt in Philosophia: *judicium veri & Finis bonorum*, seu *contemplari & voluntatem informare*: Illud Theoretica felicitas intendit, quæ pro objecto vendicat sibi res necessarias, & contemplationem summi Entis in primis, quæ nobilissima est intellectus operatio, ad quam proinde & reliquorum entium dirigenda est cognitio, seu gradus quidam ad superiora seu immortalia: ne peritura in creaturarum consideratione exerceatur curiositas, monente Augustino. Hoc totum hominem concernit, cum in hæc vitâ beatum reddit. Unde rectius contemplativum ordinatur ad Bonum hoc, quàm vice versâ. Et licet *Deop. 2.* videatur cum animâ rationali conjunctius esse Bonum, magisq; propriam ejus functionem

concernere: Non minùs tamen homini toti convenit  
τὸ ἀγαθόν sive agere secundùm virtutem, quod in so-  
cietats hâc civili, utramq; facit paginam.

## SECTIO QUARTA.

*Adjuncta est principia actionum humanarum sub sua turma mi-  
litare facit.*

### PRÆCEPTA.

1. Actionibus humanis accidunt invitum est voluntarium.
2. Actio invita, quâ quis vel vi coactus, vel per ignorantiam quid committit.
3. Est duplex: violenta vel imprudens.
4. Violenta, cujus causa externa est talis quidem, ut nihil conferat ad eam qui agit aut patitur.
5. Imprudens seu per ignorantiam est quæ ab agente circumstantiarum quarundam singularium ignaro, culpæ est fraudis vacuo proficiscitur, est subsequentem habet poenitentiam.
6. Actio voluntaria est cujus principium est in ipso agente, singulas circumstantias sciente.
7. Spontaneæ actionis principia seu requisita sunt tria; Consultatio, Electio est volitio.
8. Consultatio est ratiocinatio de medijs quib; ad finem pervenitur.
9. Electio est appetitio præmeditata eorum quæ à nobis fieri possunt.

10. *Volitio est appetitio boni cum ratione,*  
 11. *Huc spectat liberum arbitrium, quod modus est,*  
*quo voluntas aliquid pro placito vult vel non vult,*  
*secundum intellectus iudicium.*

AD PRÆC. I. II. III. IV. V. VI.

Actiones non sine ratione, mixtas ad Spontaneas referens, cum enim actiones æstimandæ veniant ex circumstantiis & prout in singularibus exercentur; jam non subest ratio, cum non commodè ad spontaneas referri queant, imò simpliciter voluntariæ sunt, ratione principij, voluntatis & cognitionis, circumstantiarum & mediorum, cum non solum illa velimus, quæ propter se appetuntur, sed etiam quæ propter aliud; divisionem actionum in (1) *Invitæ*; quæ vel violentæ, quarum principium non tantum sit externum, sed etiam requiritur ut id sit contra conatum intrenum & impetum voluntatis; vel per ignorantiam; quæ vel est prævæ dispositionis, alias error dicitur, cum quis iudicat rem aliter esse quàm est; vel puræ negationis, quæ est cognitionis privatio, non cum positivo aliquo conjuncta iudicio, utraq; censetur principium esse actionis invitæ, non quidem propriè & per se, sed quatenus tollit scientiam, quæ inhibitura esset actionem istam. Et (2) *spontaneas*; quæ scientiam & voluntatem præsupponendo; vel ex subitis Affectibus, irâ, amore &c. absque deliberatione, & proposito antecedente, resultant, vel *Ἐμπροσώρου*, deliberatâ voluntate & destinato proposito, veritati consentaneam, autumo.

AD

AD PRÆC. VII. IIX. IX. X.

Actionum exteriorum, quæ nimirum oculis hominum subiiciuntur, principia quidem hic recensentur, ut pote (1) *Consultatio*, quæ mediiorum nempe futurorum, quæ à nobis fieri vel obtineri sperantur, tantum est, non finis. (2) *Electio*, filia consultationis, quæ non secus ac illa negotium habet circa media. Differt tamen à suâ matre (1) *Subjecto*, hæc est facultatis cognoscentis, illa verò appetentis seu voluntatis. (2) *Tempore*, hæc præcedit, illa sequitur. (3) *Volitio*, cum voluntate indissolubili nexu cohærens, idem objectum nimirum bonum, quod rationem habet finis, quod illa, de mediis vero non æquè sollicita, intendit. Verùm interiorum & exteriorum actionum adæquatum principium est ipsa voluntas libera in agendo rectâ ratione munita. Liberum intellege quod in utramq; partem inclinare potest, sive libertas exhibeatur contrarietatis, sive contradictionis. Clementissimus Deus à quo omne Bonum & perfecta actio proficiscitur nos ab omni malo liberet, veriç; boni participes faciat!

COROLLARIA,

I.

- A**N Philosophia supremum inter facultates locum mereatur? Aff. Exceptâ Theologiâ.
2. An compositio ex naturâ & supposito competat Deo? N.
  3. An scientiæ inferiores subalternentur Metaphysicæ? N.
  4. An forma sit tota in toto, & in qualibet parte tota? Aff.
  5. An Philosophia Practica rectè secetur in Ethicam, Politicam & Oeconomicam, seu specie distinctas disciplinas? N.
  6. An homo sit capax summi boni in hac vitâ? Aff.
  7. An Historiæ sit numeranda inter ceteras disciplinas philosophicas? Aff.

Ingenij acumine literarumq; cultura egregiè ornato Iuveni  
DN. JOHANNI ANDRÆ STRÆ-  
THOVIO Philosophiæ Candidato, pro obtinendo  
Magisterij gradu, accuratè differenti,

GRatulor ingenium felix, congrator acumen.  
STRÆTHOWI; Nota est & tua sedulitas.  
Hinc tibi nunc viridis cinget quoq; tempora laurus:  
Sit faustum: coeptis annuat usq; DEUS!

L. mō, utut occupatus,  
applausi

MICHAEL GyllenStålpe, &c.



NOster amicitiae nodus, tu Candide frater  
Iannes, Contulit hæc qualiacunq; tibi:  
Sed modò deberem tibi Carmina fundere plura,  
Poscit id obstrictus nodus amicitiae,  
Aspice tu pectus, quod sat perspexeris antè,  
Id tibi sufficiens est, erit utq; fuit.

Hæc præstantissimo Domino Phi-  
losophiæ Candidato meritissimo,  
amico & fratri suo honorando,  
ætroo nedixas @, relinquebam

DANIEL ROSANDER  
SMOLANDUS.

Carmi-

**C**Armina perdocto cupio condigna labori  
Scribere & Elogium.  
Actio virtutis, vitam monstratq; decore  
Esse bonam hoc ut ais.  
Infla nunc calamos, gratareq; docta caterva  
Stræthovij Studijs,  
Illis STRÆTHOVIVS labra admovit sua spontè  
Sympotriota meus,  
Maeste novo titulo, Salve Doctissime amice,  
Prospera quæq; precor.

Ἐκ τῆς παρακλήσεως ἡ γέγραφε  
PETRUS ACANDER,

*Piâ & Solidâ Eruditione, atq; vitæ integritate, Poli-  
tissimo ac Præstantissimo Viro - Iuveni,*  
**DN. JOHANNI A. STRÆTHOVIO**  
Candidato Philosophiæ meritissimo, fautori & benefa-  
ctori jugiter colendo, Pro privilegijs Summi Philoso-  
phici gradus optinendis publicè disputanti,  
gratulans ita accinebat.

**O**Mnibus in terris pauci dignoscere possunt,  
*Quæ Bona sunt verè, quæq; & sunt vera vocanda:*  
*Quod cum pertractas, clarescens doctæ Johannes,*  
*Ingenuus doctæ famulando ritè Minervæ;*  
*Dirigis ut Cursum, monstras te Summa tenere,*  
*Hoc decus eximium est, cui gratia lausq; perennis.*  
*Candidus evadis dignus quoq; honore Magistris,*  
*Prospera cuncta fluant, sic dirigat ipse Iehova!*

**MAGNUS BERGERI  
KIEXELIUS.**

⦿⦿⦿

